

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0320

0318

0324

0314

0329

0309

0369

0269


0419

0219

0819

Ende

Anfang



307

Papa indignatus contra eum ut perjurum et proditorem iterum eum excommunicavit. Causam autem reversionis hanc fuisse dicunt, quia audivit, quod in sua absentia Papa Johanni regi Jerusalem dare voluit Siciliam et Apuliam contra Fridericum. Alii dicunt, quod ideo intermisit, quia Soldanus nuntios cum litteris et magnis muneribus Friderico miserat et ei regnum Jerosolymitanum promiserat sine bello et sanguinis effusione, si transitum illum Christianorum impediret.

Post haec Fridericus praefatus praeparatis magnis copiis iter arripuit per se ad terram sanctam, sine requisitione Papae et magis, ut creditur, ad capiendum regnum Jerosolymitanum sibi promissum a Soldano, quam ob zelum fidei vel utilitatis Christianorum. Misit ergo imperator (B) ad Soldanum postulans regnum Jerosolymitanum. Quo ei dato ascendit cum suis Theutonicis et aliis sibi adhaerentibus baronibus militibus in Jerusalem, fecitque se coronari in regem Jerusalem in medio XL. anno Domini 1225. et sine omni contradictione possedit totum regnum et civitatem sanctam, dimissis tamen Sarracenis in suis habitationibus, quibus etiam dimisit templum Domini, quod nominant Salomonis, ut in eo clamarent Machometi praeconia. Huic paci et concordiae non assensit cardinalis legatus Papae, nec patriarcha Jerosolymitanus, nec Templarii, nec Hospitalarii, nec alii barones, dentis Theutonicis et Siculis, nec capitanei peregrinorum, quia omnibus his visa est pax fraudulenta in damnum et confusionem Christianorum et impedimentum conquestus terrae sanctae. Singulariter tamen Templarii concitaverunt fideles contra imperatorem, ne ejus facta justa et vera aestimarent. Erat enim imperator valde inimicus Templariis et in eorum odium dimisit templum Domini Sarracenis, ne ipsis subjiceretur.

Capta autem sic Jerosolyma misit imperator ad Papam Gregorium oratores suos postulans absolutionem ab excommunicatione, cum implesset juramentum cum Deo in Syria. Sed Papa eum absolvere noluit, cum percepisset eum confederatum Soldano et regni Jerosolymitani possessionem esse solum simulatam. Misit etiam imperator oratores suos ad regem Franciae et Angliae et ad alios occidentis principes, denuntians dominici sepulchri liberationem et suam coronationem.

20 *